Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31632
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

per spiritum. Qui vero ergo in corde peccare delec-
tatur. quasi infra civitatem mortuus iacet.
Cum vero non delectatione est non solum usque ad consensum.
sed etiam usque ad operationem perducitur. quasi
extra portam civitatis mortuus expellitur.
quia sicut in civitate homo inhabitat. ita
anima ad tempus corpus ingreditur. per quod bonum
malumve operari potest. Portas autem civita-
tis non incongrue sensus corporeos accipimus.
scilicet visum. auditum. gustum. odoratum.
et tactum. Per has enim portas aut vita aut
mors ad nostram animam ingreditur. Qui enim
sublimes habet oculos et elatos. ad con-
cupiscentiam mulieris [illegible]. quasi per por-
tas oculorum suorum extra civitatem mortuus
expellitur. Qui autem aures suas libenter
detractionibus. maledictionibus. et falsi-
tatibus aperit. quasi per portas aurium suarum
mortuus educitur. Qui non propter carnalem
delectationem satisfaciendam varios odo-
res per illecebrosa sequitur. quasi ex porta
narium suarum mortuus deportatur. Et
qui loquitur iniquitatem in excelso. et seminat
inter fratres discordias. quasi per oris sui portas
mortuus effertur. Qui autem promptas ha-
bet manus ad effusionem sanguinis et le-
sionem proximis inferendam. quasi per portas
manuum suarum mortuus rapitur. Qualibus
per prophetam dicitur: Intravit mors per fenestras
vestras. et ingressa est domos vestras. Sed nos
talium exempla contempnentes spiritalibus
seris civitatis nostrae portas muniamus.
ut non ad animas nostras mors. sed potius vita
introeat. Muniamus portas oculorum
ab illicito visu. ut cum psalmista dice-
re valeamus. Levavi oculos meos ad
montem. Et cum beato Iob. Pepigi foedus
cum oculis meis. ne cogitarem de vir-
gine. Et cum psalmista. Oculi mei semper
ad dominum. Muniamus aures ne libenter
audiant verba detractionis. falsita-
tis. et scurrilitatis. ut cum beato Iob di-
cere possimus. Auditu auris audivi te
domine. Et cum propheta. Audiam quid loquatur in
me dominus deus. Muniamus nares ab illicitis
odoribus. ut secundum apostolum simus Christi bonus
odor deo in omni loco. Muniamus lin-
guam a maledictione. detractione. falsi-
tate. et otioso sermone. ut cum psalmi-
sta dicere valeamus. Dixi custodiam vi-
as meas. ut non delinquam in lingua
mea. posui ori meo custodiam. Munia-
mus manus ab effusione sanguinis et
lesione proximi. semperque eas ad elemo-
sinam largiendam. et bona opera facienda
paratas habeamus. ut cum psalmista
dicere valeamus. Lavabo inter innocen-
tes manus meas. et reliqua. Et cum ecclesia. Manus
meae distillaverunt myrram. et digiti mei
pleni myrra probatissima. Custodiamus
etiam pedes. ne sint veloces ad curren-
dum in malum. sed potius ad bonum evangelizan-
dum. ut impleatur in nobis illud Esaiae
prophetae. Beati pedes pacem portantes. Et
cum psalmista. Lucerna pedibus meis ver-
bum tuum domine. Si hos quinque sensus bene
custodierimus. spiritaliter a domino resuscita-
ri merebimur. et erimus de illis de quibus
Esayas ait. Qui ambulat in iustitiis.
et cetera. Et haec vidua erat. et turba civitatis
multa cum illa. Vidua haec spiritaliter
significat ecclesiam. quae pro eo vidua dicitur.
quia absentia domini vidua est. reditum eius ad
iudicium expectat. de qua scriptum est. Vidu-
am eius benedicens benedicam. Haec est illa
vidua quae cotidie in evangelio iudicem